

statum clericorum, utpote in statu minus perfecto ad perfectiorem.

Praeter haec oporteret quoque ponderare, quibusnam clausulis temperanda foret facultas, quae fieret Oratori egrediendi e monasterio ob causam suscipiendi ordines sacros. Si enim Orator post obtentum a claustris egressum sive ex possibili frequentique humanae voluntatis inconstantia, sive ob necessariae doctrinae defectum, sive ob aliquam, quae illi superveniret, infirmitatem, sive demum, quia congruo destitutus Beneficio, sacris ordinibus non initiaretur, decernendum profecto esset: num ob eam tantum causam a monasterio dimissus liber impostorum judicandus omnino foret a votis religionis vel potius aliqua lege, et qua ratione ad eorum observantiam revocari posset atque deberet?

Placeat itaque Eminentiis VV. pronunciare: *An sit permittendus Beneficio Majocchi Comisso Cassinensis Congregationis egressus ab eadem Congregatione ad effectum suscipiendi sacros ordines in casu?*

S. C. C. resp.: Negative.

Die 17. Febr. et 10. Martii 1742.

*Iterum proposito dubio: An sit standum vel recedendum a Decisis?*

S. C. C. resp.: Brevi recessu a Decisis affirmative.

Die 14. Decbr. 1743.

Vd.: *Ord. Regul. e Monasterio etc.*

## 25) Ad Subdiaconat. et Diaconatum.

### a) Copti.

Vd.: *Ordinatio Graecor.*

### *Benedictus PP. XIV.*

*Ad dubium I.: An Coptis proprio ritu in aetate puerili ad diaconatus ordinem promotis, ubi legitima ad contrahendum matrimonium aetas advenit, liceat nedum primum, sed alterum quoque inire matrimonium,*

*ex vi dispensationis obtentae a PP. missionariis, absque ullo speciali indulto apostolico?*

*Ad dubium II.: An dicti Diaconi officium divinum recitare teneantur?*

Resp. *Benedicti PP. XIV.*

*Ad I. et II.: Pro faciliiori et accuratiori illorum examine juvat praemittere, verificari practice et in concreto apud Coptos, quod in abstracto et pro suo ingenio disputant inter se latini theologi et canonistae de ordine sacro infanti ante rationis usum vel ante pubertatem collato. Praematuram hujusmodi ordinationem apud Coptos veteri usu et disciplina invaluisse testatur P. Thomas a Jesu dicto opere de Conversion. Gent. lib. 7. pag. 361.: „Conferuntur, inquit, ordines, excepto presbyteratu, omni aetati, etiam immediate post baptismum parvulis simulque dantar tonsura et quatuor gradus et diaconatus et subdiaconatus; nec hisce conferendis interstitia vel tempora particularia determinata sunt. Ubi sacros ordines recipiunt, castitatem et abstinentiam pollicentur, jejunare videlicet diebus Mercurii et Veneris, et tempore adventus et quadragesimae etc. Insuper etiam quadragesimis Apostolorum Petri et Pauli et Assumptionis. Quando autem infantulis aut pueris sacri ordines conferuntur, pro eis spondent et haec vota observant ipsorum parentes, donec decimum sextum aetatis annum aut circiter exegerint.“*

Hanc quoque vigentem inter Coptos consuetudinem assumendi ad ordinem diaconatus constitutos in aetate infantili confirmat suo testimonio Carolus Franciscus a Breno in Manuali Mission. Oriental. tom. 1. lib. 3. cap. 2. num. 5.; idemque usus evincitur in literis P. Berna, missionarii societatis Jesu datis anno 1706 Cairo ad P. Solerium, magni nominis probataeque

doctrinae Bollandistam; memoratis in iisdem literis Coptorum seu Jacobitarum moribus et institutis advertit, diaconos promotos in aetate sex vel septem annorum in immensum excrevisse numerum, caeteroquin necessarium, ne Ecclesia debitis fraudetur obsequiis; neve divina mysteria absque decenti ministrorum cultu et frequentia celebrentur, quemadmodum videre est in continuatione Bollandi tom. 5. mens. Jun. pag. 132.

*Nemo adeo rudis est, qui ignoret in Ecclesia occidentali diversos ordines et ministrorum gradus fuisse institutos et in sua rite tempora dispositos. Prima etenim tonsura initiandi sunt praediti usu rationis, qui in septimo aetatis anno praesumitur. Minoribus vero ordinibus, licet determinata aetas a sacris canonibus praestituta non sit, adhuc a septimo ad decimum quartum annum conferri solent, concurrentibus tamen in ordinando qualitatibus desideratis a Tridentino sess. 23. de reform. cap. 5 et 11. Porro ejusdem Tridentinae Synodi lege cautum est, ad Subdiaconatum aetatem vigesimi secundi anni, ad Diaconatum vigesimi tertii, ad Presbyteratum vigesimi quinti, ad Episcopatum trigesimi esse necessariam; eo tantum inter sacros ordines et Episcopatum recurrente discrimine, quod pro sacris ordinibus satis sit unius vel alterius respective anni inchoatio, pro Episcopatu vero complementum trigesimi anni requiratur.*

Si tamen in hujusmodi provide institutarum legum contemptum contingeret fortasse ab Episcopo legitima auctoritate suffulto non solum minores sed etiam sacros ordines infanti conferri, concordia theologorum et canonistarum suffragio definitum est, „validam“ sed „illicitam“ censeri hanc ordinationem, dummodo nullo labore substantiiali defectu materiae, formae

et intentionis in Episcopo ordinante; non attenda contraria sententia, quae raros habet asseclas et quae supremis Tribunalibus et Congregationibus Urbis nunquam arrisit. *Aequae tamen certum et exploratum est, per hanc ordinum collationem non subjici promotos obligationi servandae castitatis nec alii oneribus ab Ecclesia impositis, cum electio status a libera cujusque pendeat voluntate, et Altissimo nostra non autem aliena vota reddere teneamur.*

*Obsolevit enim vetus illa Ecclesiae disciplina, quae coacte aut per vim promotos ad Sacerdotium et Episcopatum duro subiciebat jugo servitutis et observationis onerum et legum cuicumque ordini impositarum, sprete quavis protestatione ordinati vel promoti, contra vim illatam spreteque declaratione animi a suscepto ordine abhorrentis. Insuper licet usque ad saeculum duodecimum consueverint parentes filios in infantili aetate positos in sacris monachorum coenobiis devovere et divino famulatu mancipare, perpetuo vetito egressu et septis monachorum; attamen mitioribus Clementis III., Coelestini III. et Tridentinae Synodi decretis abrogata fuit lex illa, contra quam naturae et liberi arbitrii jura clamare videbantur.*

Non desunt tamen graves theologi, qui accuratiori etiam examine rem intime scrutentur. *Ajunt siquidem, infantes promotos ad sacros ordines, ubi sui compotes jam fuerint, diserte esse interrogandos super intentione permanendi, necne, in ordine sibi collato. Si firmo deliberatoque animo palam assenserint, eo casu censent eos obstringi voto castitatis, sin minus, licitum sit eisdem ad saecularia vota transire, suspensa exercendi ordinis potestate.*

Alium expendunt casum theologi *ordinis suscepti post usum rationis sed ante pubertatem. Affirmant: ita*

memorabili consuetudine in more positum fuisse docet communior Theologorum opinio.

Quantum assequi potuimus conjectura et testimonio monachorum ritus Copti in Urbe degentium, quos ea de re percunctari non praetermisimus, *Diaconi, Subdiaconi et Presbyteri Ecclesiae Orientis nulla lege expressa, canone aut Concilii decreto adiguntur ad recitationem officii divini, quia vero positi in hujusmodi ministerii gradibus tenentur omnipotenti Deo orationes et sacrificium laudis offerre, etiam apud Orientales laudabilis invaluit consuetudo recitandi divinum officium.*

Memoriae proditum est, Patriarcham Maronitarum plura proposuisse dubia Praedecessori nostro Gregorio XIII., ut supremo illius et apostolicae sedis iudicio definirentur. Legitur §. 6 hoc potissimum: „*Creamus, inquit Patriarcha, pueros quinque vel sex annorum Subdiaconos sine obligatione legendi horas canonicas;*“ en apostolica definitio relata in saepe memorato opere P. Thomae a Jesu: „*Tenantur etiam omnes ordinati ad horas canonicas, saltem illi nationi consuetas et a viris doctis recognitas, non solum beneficiati, sed etiam qui sunt in sacris sine beneficio.*“ Qua de re, si disciplina Ecclesiae Orientalis subijcit obligationi et praecepto recitandi officium divinum „more nationis“ generatim omnes in sacro ordine constitutos, eadem sane obligatio idemque praeceptum persolvendi horas canonicas „more suae nationis“ afficiet Diaconos Coptos, qui per solemnem ratificationem tempore habili emissam denuo assensum praestitere ordini sacro in infantili aetate suscepto.

Satis haec videri possunt pro examine tertii et quarti dubii, semper tamen prae oculis habita firmiterque retenta hypothese, quod quaestio usque

modo instituta referenda sit ad Diaconos ordinatos in prima aetate ritu Copto inter Schismaticos, qui post reditum ad orthodoxam Ecclesiam et post ratihabitionem ordinis factam apud Catholicos in statu coelibis vindicent sibi postea legitimi jura conjugii.

At suspicari nobis non temere licet, crebrius in praxi alium dari casum a praemissa hypothese longe diversum. *Saepe enim contingit, a Diaconis apud Schismaticos in aetate infantili ordinatis, ubi aetas adolevit, ratam haberi apud eosdem Schismaticos ordinationem, si non expresse, saltem tacite, v. g. ministrando in ordine suscepto, et ab ipsis subinde contrahi matrimonium.* Demum ab erroribus, in quibus versantur, quaerunt in sinu catholicae Ecclesiae salutare per fugium, sub spe tamen obtinendae dispensationis super matrimonio jam inito, ut in statu conjugali legitime perseverent.

Casus iste quo frequentior est, eo etiam explicatu difficilior. Etenim si, ad tramites jam expensarum rationum, ipso jure irrita sunt matrimonia post ordinem sacrum contracta, necessario sequitur, Diaconos in reditu a schismate ad unitatem Ecclesiae non posse pedes tenere in diversis, unum in divinis alterum in carnalibus, *sed illico separari debere a quocumque uxoris consortio.* Quis erit tamen, qui non agnoscat ac fateatur, hanc separationem gravem obicem obtrudere propterantibus in viam salutis ac plurimum obstare, ne inita de conversione consilia ad exitum perducantur?

E contra vero si facile cum Diaconis dispensetur in matrimonio post sacrum ordinem contracto (quod tamen omnino novum ac inusitatum non esset, ut perperam nonnulli arbitrantur) ineluctabiles sese objiciunt difficultates in dicta dispensatione executioni demandanda. *Siquidem cum apud fideles*

*etiam Ecclesiae orientalis nulla sint et irrita matrimonia post ordines sacros celebrata, dispensatio grave illis scandalum ingereret et acerbe quererentur, maximum infligi vulnus ecclesiasticae disciplinae.*

Insuper, cum res sit de matrimonio in radice nullo, dispensatio suffragari non posset, *nisi renovato ac denuo in faciem Ecclesiae rite praestito a conjugibus consensu.* Hanc vero renovationem consensus novam omnino putarent Copti vel fortasse refugerent tanquam plenam aleae, probe intelligentes, unum et alterum conjugem posse pro libito abstinere a praestando assensu, immo potiri facultate sese in libertatem vendicandi.

Caeterum, ut mox innuimus, in dubiis ecclesiasticae historiae monumentis edocemur, alias dispensatum fuisse, ut Orientales ad unitatem redeuntes perseverarent in foedere matrimonii post sacros ordines contracti. Exemplum hujusmodi dispensationis exhibent apostolicae literae fel. rec. Innocentii IV. Praedecessoris nostri anno 1244 datae ad Magistrum et Priorem fratrum Praedicatorum Terrae Sanctae, quibus idem Pontifex inter alia indulget, ut per fratres dicti ordinis, qui deputantur ad praedicandum Jacobitis, Neostritis, Giorgianis, Graecis, Armenis, Maronitis, Mossolinis aliisque nationibus in partibus Orientalibus constitutis etc., dispensari valeat, ut illi ex nationibus numeratis, qui post susceptionem sacrorum ordinum vel in gradibus et casibus a divina minime lege prohibitis matrimonia contraxerunt, remaneant in eisdem.

Extat dictarum literarum exemplar authenticum Romae in archivo ordinis, exscriptum ad fidem authographi asservati in coenobio Viterbiensi, ut videre est in novissimo bullario Dominicano edito et illustrato ab An-

tonio Bremond dicti ordinis alumno tom. I. pag. 136.

Die 4. Maii 1745.

(Bull. Bened. XIV. t. I. p. 512.)

#### Benedictus PP. XIV.

Prosequendo examen dubiorum illud ordine succedit: *An, si Diaconi ordinati in aetate puerili ministrent adulti in ordine suscepto et in statu coelibis, inferri possit, eos ante nuptias ratam ordinationem habere, cum compertum sit teste P. Benart, eos a puero functionibus ecclesiasticis assuescere et in magno numero ordinari, ne aliquando desint, qui Ecclesiae ministeriis operam navent?* Cum igitur examen praescripti Dubii aggredi placuerit, post latum a quolibet ex Congregatis suffragium, pronunciatum est a Nobis decretum in haec verba: *Diaconi in aetate puerili ordinati, licet ante decimum sextum aetatis annum ministraverint in ordine suscepto et in statu coelibis, tamen non censentur ante nuptias ordinationem ratam habuisse, eo quod nihili faciendi sint illi actus, quos in aetate puerili et ante decimum sextum aetatis annum exercuerint.*

Quod decretum nunc pariter a Nobis confirmatur.

Ad instar conciliaris dispositionis a Nobis constitutum est, ut *Diaconi Copti in infantili aetate ordinati, ubi ad annum decimum sextum aetatis suae pervenirent, a praefecto missionum interrogentur, num velint necne perseverare in ordine suscepto et obligationes omnes ordini annexas implere, ut inde statui possit, quid in futurum in reliqua eorum vita ab ipsis servandum sit, sicut quisque videre potest in pluries laudata instructione Nostra anni 1745. Itaque, quemadmodum stabilita per Concilium aetate anni decimi sexti ad professionem*

regularem emittendam, tacita locum non habet, etiamsi ante praedictam aetatem actus illi expleantur, ex quibus secundum canonicas dispositiones tacita professio inducitur, sed omnes illi nullo in numero et pro nihilo habentur ad tacitam professionem regularem inducendam, nisi expleti fuerint post annum aetatis decimum sextum et postquam anno probationis evoluta expressa professio emissa non est; ita constituto a Nobis anno aetatis decimo sexto, quo, ut dictum est, Praefectus missionum Diaconos in puerili aetate ordinatorum interrogare debet, velintne an secus perseverare in ordine suscepto et obligationibus ordini conjunctis satisfacere, ex ordinis exercitio ante annum decimum sextum eorum aetatis peracto nulla tacita ratihabitio argui debet, cum ad summum hujusmodi actus tacitam ratihabitioem importare possint, si gesti fuerint post annum decimum sextum eo casu, quo Praefectus missionum anno decimo sexto eorum aetatis ipsos interrogare, quemadmodum ab illo fieri debere saepius monitum est, neglexerit.

Die 19. Junii 1750.

(Bull. Bened. XIV. t. III. pag. 288. §. 7. 11.)

b) Defectus tangendi libri  
Epistol.

Ordinis Capuccinorum.

(C. Tr. C. 2 — 4. De ver. et cath. doctr. Sac. Ord. S. 23.)

Frater Franciscus Aesinus hujus ordinis exposuit huic S. C., quod, cum de mense 1709 cum Dimissorialibus sui Superioris accesserit ad Episcopum Senogallien. pro suscipiendo Sacro Subdiaconatus Ordine, in actu ejus Collationis tetigit quidem Calicem et Patenam non autem librum Epistolarum ex inadvertentia Assistantis, unde, licet

Orator ex communi Doctorum opinione non dubitet de valida ejus ordinatione, sed tantum credat ei deficere potestatem legendi Epistolas, nihilominus urgente etiam opinione nonnullorum Doctorum sententiam in oppositum, pro tutiore suae conscientiae quiete humiliter supplicavit pro opportuna declaratione.

Episcopus Senogallien. desuper informare requisitus retulit, Oratorem tactis Calice et Patena, quando debuerat tangere pariter librum Epistolarum, non se praesentasse cum aliis ad eundem ordinem suscipiendum accedentibus, sed meditandum et oculis in terram defixis non advertisse, admonitum vero ab alio ejusdem Religionis Sacerdote, ut se adjungeret cum aliis ordinandis, ivisse seque adjunxisse cum aliis Subdiaconis, qui jam librum Epistolarum tetigerant, non vero qui librum tangere debebant. Quare censuit Relator, ea quae omissa fuerunt, suppleri posse inter Missarum solemnias. Nunc itaque rogat Orator EE. VV. pro declaratione:

*An et quomodo Oratoris precibus sit annuendum?*

S. C. C. resp.: Esse supplendum per Episcopum etiam privatim.

Die 29. Novbr. 1710 et 10. Jan. 1711.

c) Def. intent. et tactus materiae.

(Concil. Trid. Can. 9. 13. Sess. 7. De Sacram.; Cap. 3. 4. Sess. 23. De ref.)

Joseph. Rodriguez Turritanus ex Oppido Campi de Cyptana Prioratus Velen. in minoribus ordinibus constitutus compulsus paternis minis Subdiaconatus ordinem suscipere de anno 1702 per diem ante ordinationem protestationem emisit coram Notario et Testibus sese accessurum ad Episcopum ordinatorum citra intentionem ordinem

suscipiendi et de facto in sequenti die accessit cum Dimissoriis Prioris Velen. Ordinis S. Jacobi ad Civitatem Lerenae, ubi Episcopus Fulsibilen. Titularis dicti Ordinis in finibus d. Prioratus existens. solemnies habebat ordinationes, et inter alios ordinandos immixtus nequaquam tetigit librum Epistolarum neque Calicem cum Patena vacua, sed tantum fuit indutus Dalmatica et Manipulo ab Episcopo. Reversus ad Patriam jubente Patre facti in seio cantavit Epistolam cum Dalmatica et Manipulo in Missa solemnii, quod et postmodum peregit per quinque alias vices. Ejusmodi autem rei divulgato rumore in illa regione dubitansque subinde Orator de validitate Ordinationis tam ex defectu intentionis quam tactus materiae sub narrativa praemissorum, usque de Anno 1703, humiliter recurrit ad SS. D. N. precibus ad hanc S. C. remissis pro declaratione invaliditatis Ordinationis Subdiaconalis necnon pro absolute a Censuris et Irregularitate incursis ob exercitium Ordinis non recepti et dispensatione seu rehabilitatione ad suscipiend. valide et licite Ordinem Subdiaconatus aliosque ultiores.

Cl. me. Cardinalis Archiepiscopus Toletanus informare desuper requisitus supradictarum precum verificationem suo Vicario Matrili commorantem transmisit, qui illico recepit juratam Oratoris depositionem, qui in ea inter alia fassus fuit de consilio Secretarii Episcopi Ordinatoris, cui intentionem suam antea propalaverat, materiam ordinis non attigisse, ad evitandam Ordinationis validitatem, eaque de causa a Priore Velen. suo Superiore fuisse demandatam ejusdem Oratoris incarcerationem; hinc idem Vicarius ad praemissorum comprobationem requisitorias literas expedivit tum Episcopo Fulsibilen. Ordinatori tum Priori Velen. directas, qui sane Episcopus examini subiecit d. Secretarium aliumque te-

stem, quemadmodum et Prior compulsari jussit Acta criminalia de suo ordine construi coepta, sed propter Oratoris absentiam non prosequuta, quorum omnium exemplar idem Cardinalis Archiepiscopus de anno prope decurso ad S. C. transmisit una cum relatione praefati Episcopi ordinatoris alisque documentis in Summario exhibend., quaeque cuncta subjiciuntur sub rectissima censura EE. VV., ut consueta sedulitate perpensis testium dictis signanter: an concurrat probabilis vel certus defectus contactus materiae non adhibiti in ipso actu ordinationis, quod et visus fuit advertere idem praedefunctus Cardinalis Relator, qui ob negotii gravitatem ex inspectione ipsorum Actorum veritatem rei eruendam censuit, libeat hodie ad renovatas preces ejusdem Oratoris resolvere infrascripta Dubia:

I. *An constet de invalida Ordinatione Oratoris? Et quatenus affirmative;*

II. *An sit dispensandus stante exercitio dicti Ordinis, ut possit ad illum aliosque superiores ordines ascendere in casu etc.?*

S. C. C. resp.: Dilata et Ordinarius terminet processum contra Oratorem et conficiat contra Secretarium et alios Complices.

Die 16. Novb. 1709.

d) Monitio.

Vd.: *Ordatio privata in Sabb. s.; Ordatio (Litaniae).*

e) *Utrum una cum Ordin. Minorib. eidem personis eadem die conferenda?*

Vd.: *Ordin. Minor. (Utrum una die etc., decr. Calaritana.)*

ordinatum tunc solum obligari voto servandae castitatis, quando ordinationem „expresse“ ratam habuerit vel „tacite“ aliquo exteriori signo, puta quia ministraverit in ordine suscepto, vel quia pensum diurnum horarum canonicarum more aliorum absolverit; quousque ratihabitio non superveniat, iidem theologi nullam ordinationis officii divini; immo censent tamdiu interdictum ordinis suscepti, quamdiu ordinatus in aetate impuberi attingat alteram aetatem a sacris canonibus promovendis rite praestitutam.

Expensa hucusque in abstracto ad tramites legum canonicarum, quibus Ecclesia occidentalis informatur, facilem viam sternunt resolutioni dubii, in quo quaeritur: „An Diaconis ritus Copti licitae sint primae et posteriores nuptiae?“ sed etiam dubii, in quo quaeritur: „An dicti Diaconi teneantur divinum officium recitare?“

Et sane si missionarii, qui dubia proponunt, ultro consentiunt, apud Coptos ecclesiasticam hierarchiam perseverare in suis ordinibus et gradibus apte dispositam; si sacrae illae ordinationes nullo laborant substantiali defectu ex parte materiae vel formae; si demum, sublato illo, qui olim aderat, dissentium opinionum conflictu, nemo est, qui hodie validam non fateatur ordinationem a ministro etiam schismatico factam: necessario sequitur, ut quemadmodum in Ecclesia occidentali valide conferuntur ordines sacri etiam infantibus, ita Coptis sacer Diaconatus ordo in infantili aetate valide conferatur.

Immo si in Ecclesia occidentali, ut praemissum est, eximuntur ab obligatione recitationis divini officii non solum pueri, sed etiam impuberes assumpti ad ordinem sacrum, nisi confirmata iam aetate suam ordinationem expresse vel tacite ratam ha-

beant, ex paritate rationis idem ferendum in hac quoque parte iudicium de Diaconis Coptis in tenera aetate ordinatis, recurrente in uno et in altero casu defectu liberi assensus, singulis ad electionem et professionem status necessariis.

In Concilio Toletano II. relato in Can. „de iis“ dist. 28., ubi sermo instituitur „de iis, quos voluntas parentum a primis infantiae annis clericatus officio mancipavit“, haec disciplinae regula opportune praescribitur: „ubi octavum decimum aetatis suae compleverint annum, coram cleri plebisque conspectu voluntas eorum de expetendo conjugio ab Episcopo perscrutetur, quibus si gratia castitatis Deo inspirante placuerit, Subdiaconatus ministerium, habita probatione professionis suae, a vigesimo anno suscipiant etc. Quibus autem voluntas, propriae interrogationis tempore, desiderium nubendi persuaserit, concessam ab Apostolo licentiam auferre non possumus.“ Canonicae hujus sanctionis litera aperte docet, infantes a parentibus ecclesiasticis ministeriis dedicatos, exacto decimo octavo anno ab Episcopo interrogari oportere, an velint in sancto perseverare proposito vel temporale inire conjugium. Ab huiusmodi recte agendi semita non deflectat praefectus missionis; sed Diaconos in prima aetate ordinatos aperte interroget per se ipsum, si commode fieri possit, sin minus, per alium a se deputatum, et quae illorum sit mens et voluntas, diligenter exploret.

Haec porro interrogatio et inquisitio fiat postquam Diaconi decimum sextum aetatis annum excesserint; consonum quippe est, Diaconos eo tempore deliberare, quo juxta Tridentini decreta in quacumque religione tam virorum quam mulierum solemniter castitatis, paupertatis et obedientiae vota per regularem professionem emit-

tuntur. Si completo decimo sexto anno interroganti responderint, nolle diutius in diaconali officio persistere, liceat illis primum, eoque legitime soluto, alterum quoque inire matrimonium. Certiores praeterea fiant, nulla ecclesiastica lege vel praecepto ad recitandum officium divinum vel preces a clero Copto usitatas compelli.

Nec turpe videri debet aut indecorum Diaconis a quavis ecclesiastica lege solutis aditum ad iteratas nuptias aperiri. Pro libertate secundi matrimonii sacrae clamant literae et doctoris gentium saluberrima consilia. Ad foeminas sermonem instituens Apostolus in epistola ad Romanos cap. 7: „Si autem, inquit, mortuus fuerit vir ejus, liberata est a lege viri, ut non sit adultera, si fuerit cum alio viro“; et in II. ad Corinth. cap. 7: „Dico autem non nuptis et viduis: bonum est illis, si sic permaneant, sicut et ego; quod si non se continent, nubant; melius est enim nubere, quam uri.“ Demum ep. I. ad Timoth. cap. 5. florentis aevi viduas denuo ad matrimonium et ad sobolem procreandam hortatur, ne forte in contemptum castitatis sordibus incontinentiae coinquentur. Qua freti auctoritate orientalis Ecclesiae patres graviter erroris arguunt et tanquam haereticos damnant, qui putant, post primae uxoris obitum nefas esse ad secunda vota transire, ut videre est apud Petrum Arcudium de concordia Ecclesiae occident. et orient. lib. 7. cap. 27.

E contra si Diaconi ritus Copti, completo decimo sexto anno, interroganti et illorum voluntatem inquirenti serio ac deliberate responderint, velle se in adepto ordine perseverare et ecclesiasticis vacare muneribus, eo casu sub districti severitate iudicii secundae nuptiae illis aperte interdican- tur, clamante Apostolo ep. I. ad

Timoth. cap. 3: „Diaconi sint unius uxoris viri.“

Insuper, cum personas Deo consecratas maxime puritas sanctitasque deceat, provide canones apostolici 17 et 18, quos praecipua veneratione et cultu Ecclesia prosequitur, prohibent Episcopis, Presbyteris et Diaconis, nedum bigamiam propriam, quae profuit ex secundo matrimonio, sed etiam similitudinariam ortam ex primo matrimonio cum vidua et corrupta contracto. Disposita per canones apostolicos innovata fuerunt in canone 3. Concilii Trullani; cujus auctoritas licet in Ecclesia occidentali recepta non sit, illam tamen orientalis Ecclesia suscipit et veneratur. Alexius Aristenius (magni nominis apud Orientales auctor, quemadmodum Balsamon et Zonaras inferiori loco citandi) praefati canonis Trullani glossator ita scribit: „Illum, qui binis implicatus est nuptiis post baptismum aut pellicem retinet aut viduam aut ab alio dimissam, aut meretricem aut servam aut scenicam ducit, non posse Episcopum aut Presbyterum aut Diaconum aut Hypodiaconum fieri, juxta decimum septimum et decimum octavum Apostolorum canones, decernunt.“

P. Bernat apud Bollandistas loco citato propius ad rem accedens testatur, Diaconos Coptos vinculo secundi matrimonii alligatos adepto gradu excidere et ab ordinis antea collati ministerio suspendi. Nec sane deest huic disciplinae satis firmum rationis praesidium. Cum enim Diaconi opportuno tempore interrogati libero et deliberato actu voluntatis ratam ordinationem habuerint et novam quoddam vitae genus ratificando elegerint ac professi fuerint, deliberato pariter voluntatis actu censendi sunt se subiecisse legibus ordini ratificato et vitae instituto necessario connexis ac legi praesertim prohibenti secunda connubia

et bigamiam, adeo ut nefas sit a proposito resilire.

Toti haecenus fuimus in examine secundarum nuptiarum: *nunc vero aliqua de primis attingenda sunt*, ut singulis propositi dubii partibus satis fiat.

Quamvis antiquissimo tempore, ad augendam clericalis militiae sanctitatem, utraque Ecclesia occidentalis et orientalis aequae praescripserit, nedum Presbyteros sed alios etiam in SS. ordinibus constitutos in perpetuo coelibatu versari debere, et hanc custodiendae castitatis obligationem nunquam remiserit aliarum mater et magistra Romana Ecclesia, secus tamen contigit tractu temporis in Ecclesia orientali, ut aperte evincitur ex can. „aliter“ dist. 31. cap. „quaesitum“ de poenit. et remiss., et cap. „cum olim“ de cleric. conjug. Quibus sanctionibus consonae sunt literae apostolicae fel. record. Gregorii XIII. praedecessoris nostri datae ad patriarcham Maronitarum legendae apud Thomam a Jesu in supra memorato opere pag. 490, ibi: „Cum Stephanus Papa tradat, Orientalium veterem esse traditionem, ut eorum sacerdotes matrimonio copulati sint, cumque id illis nunquam interdixerit Ecclesia, nec videtur interdendum Maronitis; lex enim coelibatus semper gravis visa est Graecis, propterea conjugium permissum est illis etc. Permittendum id itaque videtur Maronitis, dummodo ad matrimonium non compellantur, qui coelibes esse vellent, sed ad id potius piis hortationibus inducantur.“

Junguntur matrimonio Graeci in minoribus ordinibus constituti, et uxore retenta ad majores ordines et ad sacerdotii gradum rite promoventur: ubi tamen contigerit, eos in statu coelibis sacris ordinibus insigniri, a quacumque spe contra-

hendi matrimonii dejiciuntur, ut fuse edocet Glossar. in canon. „diaconi“ distinct. 28.

Quin obstat declaratio et protestatio de expetendo conjugio in ipsa susceptione ordinis sacri emissa a Diaconis, qua concurrente compatibles videntur nuptiae cum simultaneo Diaconatus ministerio, ad praescriptum canonis 10. Concilii Ancyranum relati in canon. „Diaconi“ dist. 28: „Quicumque Diaconi constituti in ipsa ordinatione protestati sunt et dixerunt, oportere se uxores ducere, cum non possint sic manere, ii, si uxorem postea duxerint, in ministerio manent, eo quod hoc istis ab Episcopo concessum, si qui autem, hoc silentio praerito et in ordinatione, ut ita manerent, suscepti sunt, postea autem ad matrimonium venerunt, ii a Diaconatu cessent.“ Siquidem Balsamo, qui canonem illum accurate expendit, expresse rejicit in illo disposita inquit: „hunc canonem ne sequaris“, et innixus solidiori doctrinae sexti canonis Synodi Trullanae inefficacem esse concludit assensum dictae protestationi quoque modo praestitum ab Episcopo ordinante: „sextus enim canon (sunt illius verba) Synodi in Trullo deponendos decernit, Presbyteros et Diaconos, qui post ordinationem matrimonium contraxerint. Quod fit autem contra canones, nec ex permissione episcopali nec ex eo tantum, quod tacuerint, concedatur, ut quod consistere nequit.“

Eadem est quoque sententia Zonarae de canone supra relato Concilii Ancyranum; immo ad removendam antinomiam duorum canonum, nempe Ancyranum et Trullani, qui inter se colliduntur, sextae Synodi decreta sequenda proponit: „cum igitur sibi invicem hi canones manifeste adversentur, sextae Synodi canon, qui et posterior fuit et magis cum apostolico

canone consentit, servari debet.“ Nec diversimode etiam sentit Aristenius, qui in hoc auctoritatum conflictu adhaeret partibus Concilii Trullani; ait enim: „Sed huic canoni opponitur sextus sextae Synodi canon, non omnino ei, qui coelebs ad Hypodiaconi aut Diaconi aut Presbyteri gradum venit, concedens, matrimonio sibi foeminam conjungere, sed eum, qui hoc ausus fuerit, deponi jubens. Et vim retinet ille canon, sed hic in desuetudinem abiit.“

Diu multumque agitata est inter Theologos controversia illa, plena jurgii ac dissidii: an solum illicitum vel potius illicitum et invalidum reputari deberet matrimonium initum in Ecclesia orientali post collationem sacrorum ordinum, quemadmodum nullum et irritum reputatur in Ecclesia occidentali? Placuit sane pluribus, validum sed illicitum censi debere hujusmodi matrimonium, tum quia canonicae sanctiones et decreta Ecclesiae occidentalis illud irritantia protendi non possunt indole sua ad Ecclesiam orientalem, tum quia canones Synodi Trullanae, quorum semper a Graecis commendata fuit auctoritas, nullibi expresse annullant et irritant matrimonium post sacros ordines contractum. Strenue contra pugnarunt alii pro omnimoda invaliditate et saniori certe consilio, utpote tuentes sententiam majoribus suffragiis suffultam et menti Congregationum Urbis consentaneam. Nullitatem matrimonii satis erui posse judicantur ex ipso canone 3. Concilii Trullani his verbis: „Eis nefario videlicet dissoluto conjugio.“

Favet etiam eidem sententiae auctoritas imperatoris Justiniani, qui in codice a Gothofredo illustrato lib. I. de Episc. et Cleric. novell. 45. hujusmodi nuptias nefarias et incestuosas appellat et soboli inde procreatae

notam illegitimitatis et turpem paternae incontinentiae maculam inurit. Et licet in juribus ecclesiasticis potestati laicae sola relicta sit gloria obsequendi, non auctoritas imperandi, in subjecto tamen casu loquitur imperator relative ad ss. canones, ibi: „quae et sacris visa sunt canonibus.“

Omnia itaque in unum perstringentes, si ex hucusque dictis Graecis ad ordines sacros jam promotis expresse vetitae sunt non solum secundae, sed primae etiam nuptiae, pari sane jure in proposito themate prohibenda est Diaconis ordinatis in tenera aetate celebratio quarumcumque nuptiarum, postquam ipsi in aetate jam confirmata, serio deliberatoque animo consensere in ordinationem jamdiu susceptam illamque publica declaratione ratificaverunt; proindeque partibus missionariis omnis admittitur potestas super hoc dispensandi.

Nec opitulari quoque modo potest Goptis salutare propositum ejurandi Schismaticorum errores sequere devovendi ex animo unioni catholicae Romanae Ecclesiae. Si enim divina tantum aspirante aura nulloque humano impellente consilio in pia matris gremium se receperint et ad nos confugerint, facile etiam intelligent, ejusdem catholicae Ecclesiae disciplinae et observantiae eos conformari oportere, ideoque subijci legi coelibatus, quam promoti ad ordines sacros, sive Latini sint sive Graeci, in romana Ecclesia sancte et inviolate custodiunt.

Imminet etiam Diaconis ratam habentibus suam ordinationem onus die-tim recitandi officium divinum.

In Ecclesia Occidentis imposita est Presbyteris, Diaconis et Subdiaconis dicta obligatio, quamvis nullum ecclesiacum beneficium fuerint assecuti. Cohæret enim ordini sacro diurnum pensum horarum canonicarum; illudque veteri traditione acceptum et im-